Quelle: https://manuscripta.at/?ID=916
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

bant exultatione magna de aduentu nostro et plorabant de absencia nostra multo tempore dicentes. Cur patres dimisistis uestras oues sine pastore in ista insula errantes? Nouimus abbatem nostrum frequenter a nobis discedere in aliquam partem, sed nescimus in quam, et ibidem demorari aliquando unum mensem, aliquando duas ebdomadas seu unam plus minusue. Cum hec audissem cepi confortare illos dicens. Nolite fratres putare aliquid nisi bonum. Uestra conuersatio procul dubio est ante portam paradisi. Hic non procul insula que uocatur terra repromissionis sanctorum, ubi nec nox imminet, nec dies finitur. Illuc frequentat abba Meroch. Angelus enim domini custodit illam. Nonne cognoscitis in odore uestimentorum nostrorum quod in paradiso dei fuimus? Tunc fratres responderunt dicentes. Abba, nouimus quia in paradiso dei per spacium hoc estis morati. Ubi sit ille paradisus nescimus. Nam flagranciam uestimentorum abbatis nostri probauimus, quia pene usque ad xl. dies tenebantur hoc odore. Illic mansit cum filiolo meo sine cibo et potu. Tantum habuimus de sacietate corporali, ut ab aliis uidemur pleni musto. Post xl. dies accepta benediccione fratrum et abbatis reuersus sum cum